

[32]. *De lignis in nauibus portandis.*

Decreuimus quod nullus mercator uel marinarius ligna portet in nauti, nisi quanta ei sufficiat usque ad locum ad quem iturus est; ita quod totum lignum quod superfuerit sit patronum nauium.

St. Zen, LVII.

[33]. *De uino et aqua in naue portanda.*

Affirmamus quod illi qui iuerint ultra mare et per totam Barbariam, unum bigongium de uino in eundo et unum in redeundo quilibet eorum habere debeat; et unum bigonzium de aqua similiter et non plus. In omnibus aliis partibus quicumque iuerit, eorum quilibet habere debeat duas partes de bigonzio de uino et duas partes de aqua.

St. Zen, LVIII.

[34] *De glaua dimittenda nauis que exierit extra Culfum.*

Dicimus quod naues que in Ueneciis caricabuntur ad exiendum foris de Culfio, glauam dimittere debeant a secundis instantibus ab arbore de medio usque ad instantos qui sunt ultra portam.

St. Zen, LXIX.

[35]. *Qualiter dampnum nauium corredi refici debet patronis.*

Mandamus quod sit [sic] aliquod dampnum alicui nauis aduenerit, quod Deus aduertat, de arboribus uel de ancoris, aut de uelis, aut de ancoris, siue temonibus, siue de alio coredo nauis; restitutio ipsius dampni fiat de communi habere nauis, et etiam de ipsa naue secundum usum. Sed si ipsa res que ex suprascriptis dampnum habuerit decenter poterit reparari, tanta sit facta restitutio ipsius dampni, quanta uidebitur ualere rem esse peiorationis.

St. Zen, LXXIV e LXXV.